

- loquendo & proprie Dativum dicimus, qui per superiorem vi jurisdictionis datur. *Grass. l. 8. de Success. art. ult. qu. 1. num. 7.* Licet \* autem à Magistratibus hujusmodi Executores U. V. datos fuisse in jure nullum extet testimonium; ac propterea etiam *J. de Arena ad l. id quod pauperib. C. de Episc. & Cler. Dativos U. V. Executores non agnoscat; quia tamen publicè expedit, suprema hominum judicia exitum habere, l. 5. ff. qu. testam. aper. & ad prætoris officium pertinet, voluntates defunctorum tueri, l. 1. pr. ff. si quis omis caus.* proinde nec Romano jure quicquam obstare videtur, quo minus Magistratus in subsidium U. V. constituere possint Executorem. vid. *Specul. de Instr. Edit. §. nunc aliqua. vers. dativi.* *Joh. Jac. à Canib. p. 1. num. 15.* ubi idem tenuisse *Joh. Blanch. de Marfil.* affirmant, quod *J. Würtemb.* propter expressam constitutionem dubitatione caret. *Landt. §. ult. & pen. p. 425.*
55. Quando \* autem per Magistratum Executor datur, non opus est, ut requiratur consensus personæ constituendæ; nam hoc casu exequendi officium necessarium dicitur, ac muneribus publicis accensetur à *Molin. d. disput. 248. num. 4.* *Joh. Jac. à Canib. d. p. 1. num. 40. in fin.* *Rolandin. de formul. capit. in testam. num. 13.*

## CAPUT V.

## De Personis Executores U. V. Constituentibus.

1. Subjiciamus \* Personas U. V. Executores ordinare valentes. Testamentarios deputare possunt omnes, qui ultimas voluntates condere. Potestas enim disponendi, cum potestate disposita exequendi, aut executionem illorum demandandi, proxime est connexa.
2. Hinc \* omnes illi, qui testamenta, aut aliam ultimam dispositionem, facere impediuntur, vel prohibentur, nec hujusmodi Executores dare possunt. Et cui bono darentur Executores, si voluntas, cui exequendæ deputati sunt, valida non esset, ac impleri nequiret?
3. Unde \* recte dicit *J. de Arena tr. de Commiss. ar. num. 22.* non est quæstio de pupillo, & aliis, qui testari non possunt, an EE. ordinare queant: ubi tamen in fine subdit, de jure Lombardorum etiam pupillos testari posse.
4. Usurarius \* manifestus, quamvis secundum dispositionem, *c. ultim. de usur. in 6.* testamenti factione activa destituatur: si tamen omnia sua bona, pro usuris solvenda, conditio testamento, relinquat, & huic adimplendo Executorem constituat, non vano nec irrito conatu, sed valide & cum effectu hoc faciet.